

quatenus illud solum deletur, quod in priori generatione ille contraxerat, N. Apostolus enim Rom. V. 15. scribit: *Non sicut delictum, ita et donum... nam iudicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem.*

Ad 4. Dist. Tribuenda est poenitentiae dispositio ut aiunt, seu tanquam conditioni sine qua non, C. efficerent, seu formaliter, N.

Ad 5. Dist. In hac vita ad agonem, et ad majorem cum Christo uniformitatem (1), C. in altera vita, N.

Ad 6. Dist. Sublata est causa in persona, C. in natura, quae vitata est, neque in praesenti vita ad integritatem a Christo restituta, N. (2); atque hinc etiam ratio patet, quare permaneat in renatis concupiscentiae fomes, ex quo illa in malum proclivitas ac difficultas in bonum proveniunt.

CAPUT VII. IN DOCTRINAM HACTENUS VINDICATAM SCHOLIA.

Duo potissimum sunt, circa quae nonnulla adiacere censuimus, nempe forma et subjectum huius sacramenti.

1. Ad formam quod attinet, inquirendum superest, num validum censeatur baptismum vel sub sola sanctissima Trinitatis invocatione, absque distincta singularum personarum mentione collatum; vel sub invocatione unius tantum personae; vel in nomine solius Jesu Christi. 2. Num saltem Apostoli ex quadam dispensatione contulerint baptismum in solo nomine Jesu Christi.

Primum placuit non paucis scholasticis, quos enumerat Domin. Soto (3), praecipue vero Cajetano, et Hadriano VI. in suis Commentariis, quos ante pontificatum conscripserat (4). Ex Heterodoxis hanc sententiam amplexus est Jo. Gerardus Vossius (5). Ve-

(1) Cf. Tract. de incarnatione. col. 1137, cum apposita annotatione.

(2) Apposito s. Th. 3. p. q. 69. a. 5. ad 5. «Peccatum, inquit, originale hoc modo processit, quod primo persona infecta naturam, postmodum vero natura infecta personam. Christus vero converso ordine prius reparavit id quod personae est, et postmodum simul in omnibus reparavit id quod naturae est. Et ideo culpam originalis peccati, et etiam poenam carentiae visionis divinae, quae respiciunt personam, statim per baptismum tollit ab homine; sed poenitentiam, statim per baptismum tollit ab homine; sed poenitentiam (justi) respiciunt naturam, ex cuius principiis causantur, prout est destituta originali justitia. Et ideo isti defectus non tollentur, nisi in ultima reparatione naturae, per resurrectionem gloriosam.» Sed cf. totum art. cit. et seq. Vid. etiam Bellarm. de Bapt. cap. 15.

(3) In iv. lib. Sent. D. 5. quaest. un. ar. 6.

(4) In iv. q. 1. art. 2. quaest. un. 2.

(5) Disp. 2. de Baptismo, thesi 5. ubi hoc argumentum late prosequitur, ac patres adducit, qui sibi favere videntur, praesertim vero s. Ambrosium lib. 1. de Spiritu s. cap. 5. n. 42. «Si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum s., fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum s. abneget, plenum est fidei sacramentum, etc.» Quo loco praecipue, advertente Bellarmino, moti sunt Ven. Beda, Nicolaus I., Petrus Lombardus, atque scholasticorum vulgus ad admitendum valorem baptismi in nomine solius Christi, aut alterius etiam divinae personae collati. Verum editores Maur. opp. s. Ambrosii ad cit. 1. observant longe aliam fuisse mentem s. doctoris in adductis verbis, nempe cum in Actis apostolicis traditur apostolos baptizasse in nomine Jesu, continet alias duas personas inclusas contineri ubi quaelibet divinarum personarum exprimitur. Ideoque non agere s. doctorum de forma baptismi, sed de verbis Act. apost. Nec

rum in praxi nulla ratione recedendum est a forma ab Ecclesia usurpata; reiterandum propterea sacrum lavacrum esset, si aliter administraretur. Imo Alexander VIII. hanc proposit. proscripsit: *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, praeteritis illis: ego te baptizo* (1).

Alterum placuit B. Thomae, qui propterea scripsit: *Ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judaeis et gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem Spiritus sanctus dabatur in baptismo* (2). Ex antiquioribus scholasticis hoc pariter adoptarunt Albertus M., s. Bonaventura, Scotus, quem Scotista passim secuti sunt. Ex recentioribus scriptoribus hanc sententiam nervis omnibus defendere et illustrare aggressus est Card. Ursinus (3); ast nemini, quod sciam, hanc suam sententiam persuadere potuit, eamque acriter impugnavit Drouvenius (4), alique non pauci. Card. Gotti et Billuartius utramque opinionem, affirmantem scilicet et negantem probabilem censent, et exponunt S. Thomam ita, ut locutus potius fuerit hypothetice quam absolute; quod jam insinuaverant auctores catechismi Romani (Par. 2. cap. 2. § 15); qui tamen deinceps tenent, reapse apostolos baptizasse sub invocatione distincta trium personarum; quod vero legitur de baptismo dato in nomine Christi in Actis apostolicis, exponunt ad distinctionem baptismi a praecursore collati, qui dicebatur baptismum Joannis. Haec nobis videtur vera sententia (5).

II. Quod spectat ad baptismi subjectum, magna olim exstitit controversia inter Scotistas et Thomistas; num videlicet, invitis parentibus, infidelium in-

alia certe est mens s. Basilii, quem s. Ambrosius, ut in aliis, sic in hoc loco secutus est; id ipsum docet s. Athanasius in lib. de Trinit. n. 17, quos adducit Vossius pro se. Nicolai Observat. ad s. Th. Nat. Alex. diss. XIII. in soc. III. et Harduinus De bapt. in nomine Christi fortasse probabilis censent, hoc loco s. Ambrosium de illa tantum fidei professione explicandum, quam qui baptizabantur adulti, edere solebant, jamque interrogati *credis in Patrem?* respondebant *credo*, et sic de duabus aliis personis. Hos igitur s. doctor, baptizandos, etsi de una sola Trinitatis persona rogati essent, baptismum tamen legitimum accepturos fuisse, dummodo rectam de tota Trinitate fidem animo retinerent. Certum enim est, s. Basilium lib. de Sp. s. cap. 12. et lib. v. in Eunom. cap. 5. et s. Ambrosium qui a s. Basilio non recedit lib. vii in Lucam n. 67. et lib. de mysteriis cap. 4. n. 20. et alibi aperte docere, nullum esse baptismum absque expressa trium divinarum personarum invocatione. Hinc ruit praecipuum fundamentum huius sententiae. Ceterum cf. aa. cit. et ex heterodoxis criticos sacros in cap. 28. Matth. et Guill. Beyerregium in annot. in can. L. et LI. apostolic. apud Cotelerium tom. II. pag. 468.

(1) Cf. Viva Damnatae theses, etc. in prop. XXVII. inter proscripitas ab Alex. VIII.

(2) 3. p. q. 66. a. 6. ad 1. Porro s. Thomas in corpore articuli rejecerat sententiam illorum, qui censebant validum esse baptismum sub invocatione unius tantum personae administratum.

(3) In Diss. historica de Baptismo in nomine J. C. collato. Mediol. 1753. atque in iudicii dissertationis de baptismo in nomine J. C. a sorbon. doctore (Drouvenio) objectis. Florent. 1753.

(4) De re sacramentaria lib. II. q. III. cap. 2.

(5) Cf. de toto hoc argumento Trombelli op. cit. tom. IV. diss. X. ubi collectum invenies quidquid fere de hac quaestione veteres ac recentiores auctores scripserunt.

fantes tingi possint. Afirmat Scotus cum suis, negat cum suis s. Thomas. Ecclesiae praxis Thomistarum sententiae favet. Praestat vero huic sententiae ad stipulari ipsis verbis quibus B. Thomas eam propugnat: *Maximam, inquit, habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus amulanda; quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet: unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini (audiant Jansenistae), vel Hieronymi vel cujuscunque doctoris. Hoc autem Ecclesiae usus nunquam habuit, quod Judaeorum filii, invitis parentibus, baptizarentur; quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi episcopi, ut Sylvester Constantino et Ambrosius Theodosio, qui nullo modo praetermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi. Et ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, ut praeter consuetudinem in Ecclesia hactenus observatam, Judaeorum, invitis parentibus, filii baptizentur. Et huius ratio est duplex. Una quidem propter periculum fidei... Altera vero ratio est, quia repugnat justitiae naturali, etc.* (2. 2. q. 10. a. 12.) Quas quidem rationes luculentissime evolvit. Rationes Scotistarum magis subtiles quam solidae videntur, quae expendi poterunt apud Estium, qui horum partes suscepit (1).

Launoium qui temere vellicat tum s. Thomam, tum Scotum, egregie confutavit P. Jo. Nicolai (2), et male fidei eum esse ostendit in textibus afferendis. Inepte autem synodus pistoriensis vetitum ab Ecclesia asserit baptizare infidelium filios invitis parentibus (3). Quippe, juxta Horatianum illud,

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt

Illicitum pariter, atque a christianae pietatis spiritu alienum esse, quempiam adultum invitum ad ba-

(1) In IV. D. 6. § 2. Quamvis porro hic theologus probabiliter Scoti sententiam existimet, caute tamen ac prudenter addit: «In hac re, sicut in aliis multis, non tantum quid liceat, verum etiam quid expediat videndum est. Id quod etiam locum habere debet in altera quaestione huic cognata: An infideles, qui nunquam fidem susceperunt, potius licite compelli possint ad eam suscipiendam. Cujus affirmantem partem similiter tenet Scotus, aliis plerisque diversum asserentibus.»

(2) In duabus dissertationibus an. 1668. editis, nempe: *de baptismi antiqui usu; et de iudaeis aut quibuscumque infidelibus ad baptismum non cogendis.*

(3) *Acti et decreti del concilio Diocesano di Pistoia dell'anno 1786. sess. IV.*

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

Confirmatio veluti quaedam baptismi consummatio atque perfectio quovis tempore spectata fuit. In Ecclesiae christianae exordiis non solum adultis, verum etiam infantibus, mox post baptismum administrari

ptismum cogere, nemo inficiatur. Utrum vero ejusmodi baptismum ratum ac validum sit nec ne, disceptant inter se theologi. Verior et communior sententia stat pro ejus valore, quando quis timore inducitur ad illud suscipiendum, quia non censetur omnino et simpliciter invitum, qui ex timore nec gravi neque cadente in virum constantem movetur, ast de his consulantur theologiae moralis institutores.

Post ea quae de sacramentorum caeremoniis generaliter diximus, non est cur de peculiaribus baptismi ritibus in specie disseramus. Hi ritus, seu caeremoniae, non semper iidem fuerunt. Nonnulli in desuetudinem abierunt, alii semper retenti sunt (1). Id tantum adjicio tum temere Protestantibus penitus sustulisse exorcismorum formulam, quae a remotissima antiquitate in Ecclesia usurpata fuit (2), tum improvide synodum pistoriensem coarctasse facultatem concessam a tridentinis patribus assumendi duos patrinos sive susceptores, marem nempe et feminam, prout mos ubique fere obtinet, sub obtentu obsecrandi spiritui Ecclesiae a concilio Tridentino representatae (3). Hoc enim non sapit, nisi cuncta innovandi libidinem. Ast de his hactenus.

(1) Ex illis ritibus, qui adhuc usu obtinent, novem recensentur, qui baptismum praecedunt: aquae baptismalis consecratio, mos baptizandi ante fores ecclesiae, nominis impositio, catechismus, exorcismus, frontis alterumque partium obsignatio, manuum impositio, salis degustatio, salivae ad nares et aures delibatio. Quatuor comitantur baptismum: scilicet abrenuntiatio, sacri olei inunctio, fidei professio, et inquisitio voluntatis baptizandi. Tres denique eum subsequuntur: nempe chrismatis inunctio, vestis albae impositio, et ardentis cerei traditio, quae omnia in Rituali Romano servanda praecipuntur, de quibus consulti potest Bellarm. lib. de bapt. cap. 24. et seqq. De his praeterea ac de aliis, quae olim obtinebant, ac postea in desuetudinem abierunt cf. Martene de antiquis ritibus lib. I. cap. 1. et seqq. praecipue vero Jos. Vicecomitem, qui copiosissime de his omnibus egit in op. saepius laudato, *De antiquis baptismi ritibus et caeremoniis*. Ex heterodoxis hanc provinciam illustravit Jos. Biagham op. cit. *Originum Eccles.* tom. IV. lib. X. et seqq.

(2) Antiquiores protestantes accipites circa usum exorcismi in baptismi collatione se praebuerunt, aliis cum penitus abiecerint, aliis propugnantes. Praecipue improbativus Aegid. Hunnius in thesibus de atrogando exorcismo. Gerin. 1608. quem secutus est Jo. Melch. Kraff in *Ust. de exorcismo* Homb. 1750. Denique abrogari cepit. sec. superiorum in pluribus eorum coetibus, ut refert Wegsch. § 169. n. (2).

(3) «Stimiamo, inquit synodus. sess. IV., di secondare lo spirito della Chiesa, rappresentato dal general concilio di Trento col prescrivere che i maschi abbiano il solo compare, e le femmine la sola comare.» Sed cf. quae de hoc argumento scripsit Trombelli op. cit. tom. II. Diss. VI. sect. XV. Quaest. V. et seqq.

constuevit; quare secundo loco post baptismum in sacramentorum ordine confirmatio annumeratur.

Variis nominibus donata est, nempe ratione effectuum dicta est a veteribus *perfectio*, et *consummatio*, *sacramen-*

tam plenitudinis gratiae; ratione materiae vocata est impositio manuum, vel sacramentum chrismatis, oleum sanctificatum, aut absolute, chrisma, unguentum, vel cum addito, chrisma sanctum, unguentum perenne, supercaeleste, ac demum, chrisma salutis, ratione signi crucis quae supra frontem teritur, vel characteris in anima impressi, dicta est sigillum, signaculum spirituale, dominicum. Graeci ac orientales plerique eam vocant Μυρον (Myron) (1). Definiri autem solet: Sacramentum novae legis, quo baptizatis gratia sanctificans augetur, et additur robor Spiritus sancti tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam strenue profitendam.

Doctrinam hujus sacramenti sanxit Tridentina synodus, sess. VII, his tribus canonibus. Can. I. Si quis dixerit confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant, anath. sit. Can. II. Si quis dixerit injurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathem. sit. Can. III. Si quis dixerit, sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anath. sit.

Ex hac porro doctrina non modo oppositi deteguntur novatorum errores, sed via nobis praeterea sternitur ad hunc tractatum in tria capita dispescendum: quorum primum erit de hujus sacramenti veritate; alterum de ejus ministro; tertium de materia, forma et effectibus. His more nostro quartum adjiciemus ad complectenda nonnulla scholia, quibus lucem effundamus iis, quae dicta sunt aut dicenda supererunt ad pleniorum rei de qua agimus cognitionem.

CAPUT I. DE VERITATE SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Quamvis veteres haeretici aut neglexerint hujus sacramenti susceptionem, ut de novatianis refert Theodoretus (2) aut ipsum superstitionis rebus te-

(1) De nominibus, quibus a veteribus Graecis ac Latinis insignitum fuit hoc sacramentum, fuse egit Jos. Vicecomes De antiquis confirmat. ritibus lib. 1. cap. 2. et 3. in quo posteriori capite ostendit, confirmationis nomen antiquis etiam in usu fuisse, cum praeter s. Gregorium M. in sacramentum de die sabb. sanct.; s. Isidorum Hispal. de Eccles. off. lib. II. cap. 26. Eucherium Lugdun., seu potius antiquum auctorem Hom. in die Pentec. ejus meminit s. Ambrosius lib. de mysteriis cap. VII. et auctor commentar. in ep. s. Pauli ad Heb. VI. vulgo Ambrosiaster nuacupatus, qui eadem fere aetate ac s. Ambrosius vixit. Quo falsitatis arguitur Svicerus, qui in Thesouro Ecclesiast. ad vocem χρίσμα auctor pronuntiat, neminem veterum latinorum Patrum mentionem facere confirmationis hoc significatum. Imo hujus nominis vestigium occurrit apud Irenaeum lib. I. contra Haeres. cap. 21. ed. Mass. quod quamvis usurparet a Valentianis, satis ostendit in Ecclesia pariter viguisse, cum haeretici plura soleant ab Ecclesia, a qua discedunt, secum ferre. Cf. Feyerdentium in h. Iren. locum. Sic pariter falsum est, quod idem Svicerus affirmat, penes graecos scriptores nec inveniri vocem, quae confirmationi respondeat; siquidem in Constitutionibus Apost. lib. III. cap. 17. aperte dicitur: τὸ μύρον, ἡ βαπτιστικὴ τῆς ὁλοκληρίας, seu: Chrisma confirmatio est confessionis; nempe baptismi, de quo agit cap. praec. Cf. apud Cotelerium Patrum apostolic. vol. I.

(2) Lib. III. Haeret. fabul. cap. 5. qui sic de Novatianis scribit: «His quos baptizant, sanctissimum chrisma non praebent. Quapropter eos, qui ex hac haeresi corpori Ec-

meraverint, ut de valentinianis conqueritur Irenaeus (1), nunquam tamen ejus veritatem inficiati sunt. Protestantes propterea omnium primi, coherentes ad suum systema de justificatione, cum sacramentis reliquis praeter baptisma et eucharistiam, confirmationem etiam rejecerunt (2). Lutherus inter caeremonias ecclesiasticas confirmationem recenset (3); ceteri autem haeretici ab eo prognati ulterius progressi sunt, dum spiritu vere satanico conviciis ac blasphemis, quas vel referre taedet, in hoc sacramentum sunt debacchati (4). Inter eos tamen, qui hujus sacramenti veritatem impugnarunt, eminent Jo. Dallæus (5), et Samuel Basnagius (6). Nunc vero, postquam defuerunt contentiones istae, non pauci ex recentioribus protestantibus ad saniora consilia devenisse visi sunt (7).

PROPOSITIO. — Confirmatio baptizatorum non est otiosa caeremonia, sed verum et proprium sacramentum.

Est de fide, ut patet ex primo canone Tridentino, paulo ante recitato. Adstruitur autem ejus veritas ex Scripturis sensu traditionali expositis, necnon ex perpetua et constanti totius Ecclesiae praxi.

Ad Scripturas quidem quod spectat, pervulgata sunt, quae Act. VIII, 14 seqq. leguntur: Cum audissent apostoli, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. Atque ibid. XIX, 5: His auditis baptizati sunt (Ephesii) in nomine Domini Jesu, et cum imposuisset

eclesiae conjunguntur, laudatissimi Patres inungi praeeperunt. τὰς τῶν ἁγίων βαπτιστικῶν τὸ πάντων ὁ προσεβήκει χρίσμα διὰ τοῦτο, καὶ τοὺς ἐν τῇ αἰσθητικῇ σφραγίσας τῆς βαπτιστικῆς συστατικῆς χάριτος οἱ πατέρες τὰς ἐκείνων προεβήσαν. Qui quidem mos, ut observat eruditus Valesius in annotat. in cap. XLIII. lib. IV. H. E. Euseb. manavit ex eo, quod ipsorum auctor Novatianus baptismum sine chrismatione accepisset.

(1) Lib. I. cont. Haeres. cap. 21. n. 3. edit. Mass. de quo loco inferius erit sermo.

(2) Bellarm. lib. de confirm. cap. 1. n. 4. inter eos, qui rejecerunt sacramentum confirmationis numerat Waldenses et Wicleffitas, porro Bossuetus Histoire des variat. liv. IX. ostendit, illos haeticos agnovisse septem sacramenta, ideoque et confirmationem.

(3) Lib. de Capt. Babyl. cap. de confirm. Attamen idem Lutherus alias veritatem hujus sacramenti confessus est. Cf. catechismum christianum doctoris martini Lutheri ex suis operibus simul collectum per Ludovicum Usleber 1744. Denno recensus in op. doctoris Christoph. Besold. motiva sua redditus ad Rom. cath. Eccles. Elaborata, translata et edita. P. IV. K. Augustae Vindob. 1828. appendix secunda. Cf. pag. 320. Cum Besold vellet hoc opus typis edere Francofurti, a tolerantibus protestantibus haec ei fuit denegata facultas; hinc Augustam venit ibique illud vulgavit. Lipsienses et Wittembergenses in conventu Lipsiensi an. 1548. septem pariter admitterunt sacramenta, et nominarunt confirmationem. cf. Bellar. loc. cit. n. 1.

(4) Has refert Bellarm. loc. cit. n. 6.

(5) Tribus libris Jo. Dallæus hoc sacramentum impugnavit in op. De duobus latinorum ex unione sacramentis confirmatione, et extrema, ut vocant, unctione vol. I. in-4. Genevae 1639.

(6) In annal. politico Eccles. ad an. 57. § 56. et seqq.

(7) Praeter Leihnium in system. theolog. pag. 202. et seqq. veritatem hujus sacramenti admiserunt Danb. ac Fessler. Cf. apologia della religione cattolica tratta dagli scritti di autori protestanti del sig. Esslinger negli Annali delle scienze religiose. Maggio e Agosto 1836 p. 361.

illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos. In quibus duobus testimoniis habetur quidquid ad sacramenti rationem praerequiritur, signum nempe sensibile per manuum impositionem et orationem designatum, institutio Christi, quae ex ipso apostolorum facto protinus deducitur (1), collatio demum gratiae per Spiritum sanctum, quem conferebant, indicata.

Sensus porro traditionalis horum textuum ex patribus eruitur. Etenim S. Irenaeus, lib. IV, cont. Haeres. scribit: Quibuscumque enim imponebant apostoli manus, accipiebant Spiritum sanctum, qui est esca vitae (2). Ideoque gratia sanctificans. Sic etiam Tertullianus lib. de Baptismo: Dehinc (post baptismum) manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum (3) Theophilus Antiochenus Justino coevis idipsum manifeste indigitat scribens lib. I. ad Autolyceum: Nos ideo Christiani vocamur quod Dei oleo ungamur (4).

Ei hi quidem ad II. seculum pertinent; ex tertio vero in promptu sunt s. Cyprianus et Firmilianus. Cyprianus enim ep. LXXII. contendit adversus Stephanum, satis non esse haeticis ad Ecclesiae sinum redeuntibus manus imponere, sed prorsus rebaptizandos eos esse, quia: Tunc demum, inquit, plene sanctificari et esse filii Dei possunt, si utroque sacramento nascantur (5); et ep. LXXIII. disserens de tinctis a Philippo in Samaria: Quod deerat, inquit, id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habita et manu imposita, invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in ecclesia baptizantur, praepositis ecclesiae offerantur, et per nostram orationem et manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo dominico consumantur (Ed. Maur. pag. 152). Eadem habet Firmilianus ejusdemque meminit manus impositionis, quae apud Asianos obtinebat, et apud Afros post baptisma ad conferendum Spiritum s. adhibebatur (Ibid. pag. 147). His ex eodem seculo duo adjici debent, scilicet anonymus auctor libri de Rebaptismate synchronus B. Cyprianus, sic porro inter cetera scribit: Per manus impositionem episcopi datur unicuique credenti Spiritus s., sicut Apostoli circa Samaritanos post Philippi baptisma, manus eis imponendo fecerunt, et hac ratione Spiritum sanctum in eos contulerunt (ad calcem opp. s. Cypr. pag. 355), et s. Cornelius papa, qui in epist. ad Fabium haec de Novatiano habet: Neque ab episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere (6)? Huc pariter refertur quod praescriptum episcopo est a con-

(1) Cf. Bell. I. e. cap. 2.

(2) Cap. 58. n. 2.

(3) Cap. 8. in quem locum cf. La Cerda.

(4) Οὗτοι ἑσθλαῖοι ἔσονται ἡμεῖς καλεῖσθε Χριστιανοὺς, οὗτοι ἑσθλαῖοι ἔσονται ἡμεῖς. II. 12. ed. Maran. cf. in h. I. edit. adnot.

(5) De quo s. Martyris loco cf. Sirmundum in Antirrheto II. P. I. cap. V. opp. Sirm. tom. IV. Paris, 1696.

(6) Οὗτοι ἑσθλαῖοι ἔσονται ἡμεῖς καλεῖσθε Χριστιανοὺς, οὗτοι ἑσθλαῖοι ἔσονται ἡμεῖς. apud Eus. H. Ee lib. VI. cap. 43.

stitutionibus apostolicis, ut postea baptizatos ungit chrismate (1).

Ex IV. denique et V. seculo, concilium Eliberitanum can. XXXVIII. jubet catechumenum baptizatum in periculo mortis: Si supervixerit, ad episcopum perducatur, ut per manus impositionem perfici possit (2), sacramento scilicet confirmationis. Innocentius I. in ep. ad Decentium docet, a solo episcopo hoc sacramentum debere administrari (3). De eodem sacramento agit s. Hieronymus in Dial. adversus Lucifer. (4); s. Joan. Chrysostomus Hom. XVIII. in Acta apost. (5); s. Augustinus passim, praesertim lib. XV. de Trin. ubi ait: quem morem (Apostolorum imponendi manus et orandi, ut veniat Spiritus s. sicut in Samaritanis) in suis praepositis etiam nunc servat Ecclesia (6). Sed praecipue eminet s. Cyrillus Hierosolym., qui totam catechesim insonit agens de confirmatione (7), adeo ut Kennitius vocaverit hoc sacramentum chrisma cyrilianum (8). Et haec quidem speciminis ergo attulisse aut indicasse satis sit ex innumeris prope testimoniis, quae afferri possent, quaeque expendit Nat. Alexander (9).

Quod demum et perpetuam et constantem totius Ecclesiae praxim spectat, praeter documenta hucusque adducta ex conciliis, pontificibus, et patribus, eam evincunt omnia ritualia et euchologia ecclesiae occidentalis et orientalis, in quibus ratio traditur conferendi hoc sacramentum, ac ritus describuntur, qui in utraque ecclesia semper in usu fuerunt. Ea autem ingenti numero proferunt inter ceteros Martenius (10), et Renaudotius (11); qui insuper ineluctabilibus monu-

(1) Μετὰ τοῦτο ὁ ἱεροσολύμιος χρίτω τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ. lib. III. cap. 16.

Huc etiam spectat inscriptio sepulchralis quam affert Mabilionius in Itinere italico p. 75.

D. M. Sacrum. XL.

Leopardum. In Pacem. cum

Spirita. Sancta. Acceptum

Eumte Abeatis. Innocentem

Posuer. Par. Q. An. N. VII. M. VII.

Ad quam epigraphen Mabilionius tria notat. 1. a D. MA. SACRUM pertinere ad prima illa tempora, quibus cruda adhuc quorundam in cordibus christiana religio aliquid de paganici ritus superstitione retinebat. 2. Illud XL. positum esse ad designandum tumulum. 3. Quod vero ad SPIRITA SANCTA etc. attinet, hic, inquit, manifestus est de confirmatione locus, quae antiquitus junctim cum baptismo dabatur. Observat praeterea Mazzochius in Spicilegio biblico tom. I. Neap. 1762 pag. 17. not. (5) hujus Leopardi parentis, cui titulum posuerunt Judaeos Syrosvae natione fuisse, eoque factum, ut quem ceteri christiani Spiritum Sanctum, ipsi (utpote latini sermonis pene rudes) SPIRITAM SANCTAM appellaverint, eo nimirum genere, quo sua dialecto in Spiritu enuntiando utebantur. Itaque τὸ πνεῦμα ἁγίου (ruach hakkedoshah) Spiritam Sanctam latine reddebant.

(2) In quem can. cf. Card. de Eguirre et Albaspinneum.

(3) Ep. XXV. n. 6. apud Coustant.

(4) n. 9. ed. Vallars.

(5) n. 3. ed. Maur.

(6) Cap. XXV. n. 46.

(7) Cathec. XXI. quae est Mystagogica III. et inscribitur: περί χρίσματος De chrismate.

(8) Apud Bellarm. De confirm. cap. I. n. 6.

(9) Diss. X. in sec. II. Cf. etiam Witsae Tract. de Sacram. confirm. qui uberrime documenta ex universa antiquitate collegit, ad demonstrandam hujus sacramenti veritatem.

(10) De antiquis Eccles. ritib. lib. I. cap. 2.

(11) Perpétuité de la foi, tom. V. liv. II. chapp. 11. 12. 15. Quibus adjici possunt, Petrus Arcudius De concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis in septem sacramento-

mentis ostendit, omnium ecclesiarum orientalium perpetuum et universalem consensum, in hoc fidei dogmate profitendo cum ecclesia latina. Ergo.

DIFFICULTATES. Obj. Neque ex allatis Scripturarum auctoritatibus in se spectatis, neque ex earum sensu traditionali quidpiam colligi potest, quo veritas hujus sacramenti adstruatur. 1. Etenim in adductis testimoniis Spiritus sancti nomine non gratia sanctificans indicatur, sed gratia data, de qua Joel II. 28. Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri; idque non obscure apparet in Ephesiis, qui accepto Spiritu sancto loquebantur linguis et prophetabant, Act. XIX. 6. Profecto Apostoli illum Spiritum sanctum conferebant, cujus dandi facultatem ab his poposcit Simon spondens pecuniam, nempe donum miraculorum, et Samaritani tincti a Philippo illum spiritum acceperunt, quo antea caruerunt, carebant autem gratis gratis datis; minime vero gratia significante, quam adepti erant per baptismum. 2. Sed dato, quod aliquid ad baptismi confirmationem apostoli manuum impositionem conferrent, perperam deducitur, illam manuum impositionem fuisse sacramentalem, cum passim eam usurparent ad diversos effectus producendos; 3. sic Ananias, licet non fuerit episcopus, attamen Saulo manus imposuit, ut visum reciperet et impleteretur Spiritu sancto, Act. IX. 17: 4. praeterea Petrus Act. X. 44. cernens quod Cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum, super Cornelium scilicet ac familiares ejus, antequam isti baptizati essent, ab imponendis super eos manibus abstinuit post baptismi collationem. 5. Apposite propterea Augustinus lib. III. de Bapt. Quid est aliud manus impositio, interrogat, nisi oratio super hominem (cap. 16. n. 21)? Gratianus ipse causa 1. cap. Arianos negat manuum impositionem esse sacramentum (Quaestio I. n. 75. ed. Pithaei). Ratio porro in promptu est, 6. tum quia sic injuria irrogaretur baptismum, quasi per ipsum non conferretur, nisi gratia dimidiata; 7. tum quia Apostolus nos monet, qua ratione Spiritum s. obtinere possimus, scribens Ephes. V. 18. Implemini Spiritu sancto loquentes vobismet ipsis in psalmis, et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino (1).

rum administratione. Paris. 1626. lib. n. Jac. Goar in Eucharologia sive rituali Graecorum. Luth. Paris. 1617. pag. 628. et seqq. Jo. Simon Assemanus Biblioth. Orient. p. 1. et 2.

Hic porro observare juverit argumentum, quod ex perpetua omnium Orientalium communionum consensione eruitur, quodque a recentioribus eruditis viris in illustratum est, tanti ponderis esse, ut Protestantibus penitus ab eo conterantur. Qui enim fieri potuit, ut sectae antiquissimae, a se invicem discrepantes, quaeque furore, ut ita dicam, impelluntur adversus Ecclesiam romanam sive catholicam, potuerint conspirare in agnoscenda veritate hujus sacramenti, perinde ac reliquorum? Ad hunc scopulum illiduntur omnes subtilitates, effugia, inventa, mendacia Lutheri, Calvini, Dallaei, Basnagii ceterorumque illorum symmystarum, qui constanter easdem strophas occurrunt. Numquam autem poterunt se ab illius vi subducere, eo vel maxime quod non agatur hic de aliquo principio speculativo, sed de re practica, atque in usu quotidiano posita; haec tamen communionem omnes unanimi consensu ab apostolica traditione confirmationem repetunt.

(1) Παρομοίως ἐν πνεύματι (in var. τοῦ πνεύματος ἁγίου) ψαλλόντες

8. Quod si id non sufficiat, non deest panis eucharisticus, qui cor hominis confirmat, 9. notat proinde s. Cyprianus ep. LIV. Christi athletas ad martyrium properantes, solo roboratos fuisse divinae eucharistiae clypeo et sacramento. Ergo.

Resp. neg. ant. ad 1. prob. Dist. Id est praeter gratiam sanctificantem, quae erat effectus principalis, significatur etiam gratia gratis data tanquam accidentalis, qua visibiliter invisibilis gratia conferebatur, C. sola gratia gratis data ad exclusionem gratiae sanctificantis, N. Quod igitur gratiae etiam gratis datae conferrentur ab apostolis, accidentale erat, ratione status et conditionis nascentis Ecclesiae, sed ut loquitur Augustinus Tract. VI. in Joan. Signa temporis opportuna qui praeterea lib. III. de Bapt. subdit: Neque enim temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositionem, modo datur Spiritus s., sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, et Ecclesiae primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum s. imponitur, repente incipiant linguis loqui? sed invisibiliter et latenter intelligitur propter vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari (1). Verus proinde ac proprius confirmationis effectus tum etiam ille erat, qui a Christo fuerat promissus; Christus autem Luc. XXIV. 49. non promisit Spiritum s. ad gratias gratis datas, sed ad gratiam confirmatricem roboris et fortitudinis ad strenuam fidei testificationem: Donec induamini virtute ex alto. Accedit super omnes baptizatos advocatum fuisse cum impositione manuum Spiritum sanctum, neque tamen omnes donis extraordinariis praeditos fuisse, teste Apostolo I. Cor. XII. 29. et seq. Numquid omnes prophetae? Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? Consequens proinde est, gratiam Spiritus sancti, per impositionem manuum acceptam fuisse omnino diversam a donis extraordinariis. Manuum porro impositionem communem omnibus christianis fuisse, patet ex eodem Apostolo, qui Heb. VI. 1. 2. eam memorat inter ea, quae ad fundamenta religionis spectant dicens: Non rursus jacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum (2). Et sic responsio patet ad ea, quae ex Joelle atque ex Actis Apostolorum de Ephesiis, Simone, ac Samaritanis a Philippo baptizatis objiciebantur; gra-

λαλοῦντες ἑαυτοῖς καὶ ἄλλοις καὶ ᾄδαι ψαλλόμενοι, ᾄδοντες καὶ ψαλλόντες ἐν τῷ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ κυρίῳ.

(1) Cap. 16. Christophorus Banzovicus in ep. ad Georg. Callixtum data, in qua sui in Ecclesiam catholicam rediit causas affert, profitetur se valde fuisse his verbis Augustini commotum.

(2) Ge. Rosenmuller fatetur in scholiis h. l. hic recenseri ab Apostolo impositionem manuum, quae sit symbolum donorum Spiritus sancti, quae promissa atque data sunt christianis. Quamvis, prout erat protestans et rationalista, exponat cum Noessel manuum impositionem et collationem Spiritus s. de quadam animi concitatione, qua tanquam divini Numinis afflatus se senserint impulsos qui eam accipiebant, ut illam doctrinam laeti ac imperturbati profiterentur. Cf. in I. Timoth. IV. 14. In eandem sententiam concessit Kuinoel Comm. in lib. N. T. Hyst. in c. 8. Act. Apost. v. 13. 16. Hi enim se invicem exscribere solent.

tia autem, qua carebant Samaritani, erat gratia confirmationis.

Ad 2. N. Quamvis porro ad varios effectus adhiberetur ab apostolis manuum impositio, non ideo excluditur finis peculiaris, de quo disserimus, quem sibi praestituebat intentio ministri et adjecta oratio, qua invocabatur Spiritus s. uti adhuc in Ecclesia fit (1).

Ad 3. Dist. Ananias manus Saulo imposuit, ut visum reciperet, C. ut impleteretur Spiritu s. sub. mediante baptismo, quem eidem statim contulit, C. per se, N. Illa enim manuum impositio, utpote facta ante baptismum, non potuit esse sacramentalis, ideoque unice directa erat ad visum restituendum, prout ostendit ipse contextus.

Ad 4. Dist. Id est non legitur, Petrum Cornelio ejusque familiaribus manus imposuisse post baptismi collationem, C. non imposuit, N. Ex eo enim quod in Scripturis aliquid non legatur, minime inferri legitime potest ejus omissio, quod pluribus exemplis ostendi facile posset (2). Fieri praeterea potuit, ut s. Petrus illam omiserit, postquam vidit Spiritum sanctum illapsum esse extraordinaria ratione super Cornelium aliosque ibi praesentes, prout se communi-caverat apostolis in die Pentecostes (3).

Ad 5. Dist. Manus impositio reconciliatoria, C. sacramentalis, N. Loquitur scilicet s. Augustinus l. c. de illa manuum impositione, qua olim haeretici cum Ecclesia reconciliabantur, ait enim ibid.: Manus autem impositio non sicut baptismum repeti potest; et lib. V. cap. XXIII: Manus autem impositio si non adhiberetur ab haeresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse judicaretur (4). Exploratum tamen est s. doctorem,

(1) Erat manus impositio familiaris et communis ceremonia ecclesiasticae disciplinae non tantum ante baptismum, sed in ipsa immersione et post illam, atque in confirmatione, ordium collatione, extrema unctione, exorcismis, decursu poenitentiae, quae sola quatuor manuum impositiones diversas continebat, ita ut pene rarum esset Ecclesia beneficium, quod impositione manuum non esset insigne. Suarez in 5. P. D. 54. Sect. 4. manus impositiones digessit in curativam, confirmatoriam, consecrativam sive ordinariam, ceremonialem ad baptismum, reconciliativam, deprecativam. Cf. de la Cerda in adnotat. ad cap. 7. lib. de Bapt. Tertulliani.

(2) Cf. notam Mansi, quae est ad caesem Diss. 10. in sec. 2. Nat. Alex. in qua tum hanc tum ceteras Basnagii cavillationes disjicit.

(3) Cf. S. Th. 3. P. q. 72. a. 6. ad 5.

(4) S. doctor constanter adversus Donatistas distinguit sacramentum ab effectu sacramenti, nempe gratia. Contendit sacramenta rite administrata valide conferri extra Ecclesiam, ast negat per ea gratiam conferri, iis scilicet, qui scienter ab haereticis vel schismaticis sacramenta suscipiunt. Docet porro gratiam producere sacramenta, cum respicentes ad Ecclesiam veniunt, cum videlicet, ut nos loquimur, auferunt ejusdem gratiae obicem. Jam vero Ecclesia haeretigos ad se revertentes manus impositione recipere solebat, et haec manus impositio caeremonialis ea est, de qua hic disserit s. Augustinus, quam vocat orationem super hominem, quamque citra culpam omitti posse s. doctor affirmat. Permisseri haec autem nequit cum impositione manuum sacramentali, de qua ipse sub nomine unguento loquitur. Quoniam ejus verba confirmant, quae haereticus de ejus mente adnotavimus, placet haec ipsa afferre ex lib. n. cont. litt. Petiliani cap. 104. quae ita se habent: « In hoc unguento sacramentum chrisimatis vultis interpretari: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus: sed potest esse et in hominibus pessimis... Discernae ergo visibile sacramentum, quod esse et in bonis et in malis

chrisimatis sacramentum tanquam signaculum indelebile habuisse, illudque contulisse cum ipso baptismo, qui semel rite administratus amitti non potest, nec propterea iterum conferri. De eadem porro reconciliatoria, ideoque caeremoniali manuum impositione, disserit Gratianus in objecto loco.

Ad 6. Dist. Si idem esset utriusque sacramenti effectus, C. si plane diversus, N. Jam vero effectus baptismi est spiritus renovationis, regenerationis et adoptionis; effectus vero confirmationis est gratia roboris ac plenitudinis, qua spiritualiter ad virilem proficimus aetatem, et ad fidem contra ejus hostes generose profitendam. Per baptismum evadimus christianae civitatis membra, per confirmationem membra evadimus christianae militiae. Tametsi spiritus in baptismate acceptus esset spiritus perfectionis et virtutis, baptismum tamen adiciebatur olim eucharistia, quam propterea sacramentum fuisse non negant adversarii; cur igitur negabunt dignitatem sacramentalem chrisimatis, eo quod collatum renatis fuerit et regeneratis per baptismum? Conferebatur igitur baptismus ut renasceret homo; confirmatio ut ad virilem veberetur fortitudinem, eucharistia denique ut roboratus nutritur, quin ulli sacramento censeretur fieri injuria, aut dimidiata gratia per baptismum conferri (1).

Ad 7. Dist. Implemini Spiritu sancto, id est, sancta spiritus hilaritate et jucunditate, quae ex sobrietate gignitur, quamque Apostolus opponit vini ebrietati et intemperantiae, C. Spiritu sancto proprie dicto, qualis per sacramenta confertur, N. Sensum enim, quem exposuimus, ipsa Apostoli verba exposcunt, et orationis series (2).

Ad 8. Dist. Non deest panis eucharisticus, qui cor hominis confirmat ipsum nutriendo, C. roborando ad modum confirmationis, N. Responsio patet ex dictis ad 6.

Ad 9. Dist. Quia athleta illi una cum baptismum confirmationem acceperant, prout ferebat illius temporis disciplina, C. secus, N. Chrismate enim jamdiu delibuti, nulla alia re ad martyrium egebant, nisi ut eucharistico pane reficerentur.

H. Obj. Non magis faveat sacramento confirmationis sensus traditionalis. Nam Patres antiquissimi 1. vel plane silent de hoc sacramento, ut Clemeus Romanus, Ignatius, Athenagoras, Justinus, 2. qui tamen s. Martyr, ut observabat Basnagius (L. c. n. 38); profitetur se in sua apologia omnia Caesaribus exponere, quae in baptismum fieri solebant: Ne maligne quidquam et dissimulanter agere videretur (3); atta-

potest, illis ad praemium, illis ad iudicium, ab invisibili unctione charitatis, quae proprie honorum est.

(1) Hos diversos baptismi et confirmationis effectus apte distinguit et fuse exponit s. Cyrillus Hierosolym. Catech. XXI. Mystagog. III. n. 5. 4. 7. cf. Toutteum Diss. III. de doctrina s. Cyrilli cap. 8. n. 37. et seqq.

(2) Cf. Cornel. a Lapide et Bernard. a Piconto in h. l. neque ab his dissentit Rosenmüller, qui verba: εὐχὰ πνεύματος ἁγίου ἐν τῷ καρδίᾳ καὶ ᾄδοντες, vertit: « sed sensu pietatis a Spiritu sancto affecta pleni estote, vosmetipsos excitare ad gaudia (non vino, intemperanter bibendo, sed) carminibus Deo Christoque canendis. »

(3) Apol. I. n. 61: ὅπως μὴ τοῦτο παραλαβόντες, ὁ δὲυαν ποτὲ πέλας τὰ ἐν τῷ ἔγγυσι.